

# CAP. II.

TRADIT

## QVÆ CIRCA POTENTIAM A- CTIVAM DÆMONUM SUNT SOLVENDA.

I.

Potentia activa Dæmonum vel habet respectum ad A-  
ctiones *immanentes*, vel *transeuntes*. Ad immanen-  
tes actiones pertinent scientia, cognitio, & quæ intelle-  
ctus & voluntas eorum producere potest alia. Ad tran-  
seuntes spectat Generatio, Corporis assumptio, Trans-  
latio, cœteraque omnia, quæ à Dæmonibus vel revera,  
vel apparenter in hoc universo effinguntur. De quibus  
in præsentiquasdam quæstiones ventilaturi sumus. Sit E.

Qv. I.

## AN DÆMONES POSSINT GE- NERARE.

§. 2. Famosa hæc admodum est controversia, multis jam  
annis agitata, unde primo loco de eâ disceptare non eru-  
bescimus. Qui affirmativam defendunt, dicunt, Dæmo-  
nes Viris succumbere, eorumque semen excipere, unde  
Succubæ dicuntur, postea autem Viri formam recipere,  
Virginibus incumbere & ad destinatum locum Semen  
ferre, unde Incubi vocantur. Redit itaque status Con-  
troversia huc: *An Dæmones possunt generare, non quidem vir-  
tute propria, sed aliena, ita scilicet, ut Semen aliunde exceptum  
possint salvâ virtute ad uterum deferre, ut iustos faciat effectus.*

§. 3. Affirmat Toletus in summâ lib. 4. c. 15. Pere-  
rius lib. 8. in Gen. Diisp. 3. Tostatus in cap. 6. Gen. quæst. 6.  
Delrius lib. 2. Disquisit. Mag. quæst. 15. aliique plurimi a-

B 2

pud